



Avelli, quaque arte animos effingier inde:
 Tum Genios, Nymphasq; vocat; quid cuique gerendum
 Edocet, & varias cupidos dimittit in oras.
 Illi abeunt: Genios liquidum per inane volatu
 Penna rapit, Nymphas placida fert spiritus auræ,
 Proque suo sexu pars quæque it quærere flammæ.
 Tum vero & folio Divum regnator ab alto
 Confurgit, summique petit supera ardua cœli
 Ardenti curru, centumque jugalibus igneis;
 Quem densi hinc, atque hinc scandentem sidera stipant
 Cœlicolæ: turba Heroum, sed plurima, genti
 Coraridum in primis, Pisauriadumque propinqui,
 Et Venus, & Juno, Lucinaque, Neptunusque,
 Et Veneris puer, & celsa qui raptus ab Ida,
 Eoas iter arripiunt ad Memnonis oras,
 Tenditur astriferis ardens qua fascia signis:
 Mille alii Divos superi comitantur euntes.
 At celeri Jovis interea convertitur orbis
 Impete, & ardentis moles erepta theatri
 Effugit ex oculis: cœli globus ipse diurno
 Abreptus motu nebulis se condit opacis.
 Hic ego, vix etenim nimis arcto tempore Diva
 Innuerat, quid postrema Deus egerit hora:
 Dic, precor, Uranie, Heroum quo tanta, Deumque
 Turba gradum celerat, ferturque ad Memnonis oras?
 Illa autem: nondum finis; nova pompa paratur,
 Moxque alia Eois cernes spectacula in oris.
 Quum primum multa jam nocte opprefferit udus
 Membra sopor fessis mortalibus, altus olympi
 Regnator sponsi mentem, sponsæque solutas
 Corpore nubiferos jussit transcendere tractus,
 Elatasque polo, turba comitante suorum,
 Qui versantur adhuc mortalibus aeris auris,
 Ad Veneris se ferre globum, & conjungere dextras